QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iovis, XXVII. menſis Martii,

M. IACOBO COVSINOT

DOCTORE, REGIS CONSILIARIO MEDICOQVE, ET MEDICINÆ PROFESSORE, Moderatore.

Poſſuntne Morbi Arte Medicâ præcaveri?



ISERA foret Mortalium conditio, niſi quotidianis ipſorum ærumnis Medicina ſubveniret. Salutaris hæc Diſciplina quantum moleſtiæ ſuis exhibet Poſſeſſoribus & Profeſſoribus, tantum affert vtilitatis vſufructuariis. Medici horrenda conſpiciunt, aſpera contrectant, fœdis & fœtidis afficiuntur, lethali multorum morborum contagio ſe exponunt; ægrotantes maximis malis, dolore, mœrore, morbis, ſenio & morte præmaturis liberantur. Dolor anodynis demulcetur (narcoticis receſſu quarto frigidis nunquam) mœſtitia exhilarantibus diſcutitur, inter quæ excellit Theriaca, ſanorum, ægrorum-ve ſingulare præſidium; morbi remediis nunc manifeſtis, vulgaribus, vilibus, paratu facilibus, domeſticis, ſimplicibus, nunc ſpecificis, rarioribus, pretioſis, operoſis, exoticis, anxiè mixtis, & præparatis oppugnantur, plerumque expugnantur: ſenium denique morſque ipſa etiam fatalis atque naturalis (cui accelerandæ à climactericis nullum periculum eſt) arte Medicâ tanquam divinâ quadam virgulâ, non impoſturâ chymicâ retardantur. Inter omnia tamen Medicinæ beneficia hoc eſt præcipuum, quod impendentes morbi certâ & nunquam aberrante methodo antevertuntur & præcaventur.

HVMANI corporis conſtitutio (animam ſine piaculo ægrotare nemo dixerit) triplex eſt, ſanitatis, morbi & media. Sanitas perpetuam ſui per ſimilia conſervationem efflagitat, adverſa valetudo per æqualia contraria

depulsionem, mixta est & media medii status ratio & methodus. Qui valetudine fruitur minùs perfecta, non ideo è sanorum numero excludi debet. Qui pancraticè & athleticè valet, non valet, brevique ruet in præceps, nisi maturè occurras. Suprema & numeris omnibus absoluta, quanquam non vbique obvia est, non est tamen inane nomen, sed constitutio quædam optima, à similarium partium εὐκρασίᾳ, organicarum συμμετρίᾳ exurgens. Beatissimam illam naturæ sortem qui nactus est, egregiis animi corporisque dotibus excellit, corporis pulcritudine, magnitudine, robore, ingenii acumine, memoriæ firmitate, iudicii maturitate, functiones obit perfectissimè (quanquam propterea nihil præstat cæteris hominibus denegatum, nec morbis medetur vllis, quod cælesti prærogativâ, non peculiari temperie, vel largiori vsu aromatum faciunt REGES CHRISTIANISSIMI) Idem morborum causis internis externis-ve potenter reluctatur, rarò ægrotat, tardissimè senescit, moritur. Tales fuisse crediderim primævos illos homines, orbe novo cæloque recenti procreatos, quos multa nostrorum annorum sæcula vixisse, corpora grandiora, robustioraque habuisse, paucissimis ac pene nullis fuisse obnoxios morbis, fabulosum non est. An quia sensim senescit mundus, & ad ἐκπύρωσιν vergit? An quia Pythagoricâ lege, quæ ante cataclysmum religiosè observabatur, salubriùs vivitur? minimè: sed quia materialia omnia, quò longiùs à suis principiis recedunt, deteriùs habent.

MORBORVM numerus, si singulas species spectemus, immensus est: si summa genera, exiguus; intemperies (formæ aut materiæ nullus est) vitiosa conformatio, continui solutio. Sed eorum conditionem mirè variant accidentales quædam differentiæ, quas vulgus imperitè pro morborum generibus nonnunquam accipit. Hinc illa discrimina. Acuti chronici; mites maligni; hereditarii sive congeniti à principiis generationis, non propterea ἀθεράπευτοι, vel expertes præcautionis: novi & insolentes, vt pudendagra, ebeno indico, non hydrargyro debellanda; naturæ, ætati, tempori, regioni congeneres, vel alieni & dissentanei (qui magis periculosi:) periodici, non periodici, quorum causa falsò creditur ineffabilis; populares ab elementarium corporum vitio, non cælestium maleficio; sporadici epidemiis quibuslibet etiam pestilentibus funestiores. Sed vnde homini tot morbi? non sunt verò obscuri aut dubii fontes, circumstant vndique efficaces morborum causæ, ac nobiscum perpetuò deprælIantur. Quid dico, circumstant? imò gestantur, & in intimis penetralibus hærent, adeòque nunc quasi hereditario iure à parentibus ad liberos devolvuntur, nunc errore proprio succrescunt. Tales sunt plethora vtraque, multiplex cacochymia, etiam serosa, ad pituitam minimè revocabilis, putredo vitium etiam spiritibus familiare, excrementorum cunctatio, cachexia, pravæque partium diatheses. Externæ sunt diæta & spiritus, sive res illæ, quas propriâ, licèt barbara appellatione, non naturales Medici dicunt, & senario numero complectuntur.

PESSIME nobiscum ageretur, si morborum impendentium nulla præcederet significatio & præmonitio: aliter res habet, proindeque nunquam

in morbum, nisi nostra negligentia, incidimus. Sed quotusquisque id observat? surdo canit, qui prophylaxim ei, qui sibi sanus videtur, inculcat: facilè tamen liceret antevertere, cùm causæ morbificæ vtplurimum cunctentur, & in corpore moram trahant, nec statim in actum erumpant, vt ex rabie contagiosa, & ex veneno venereo liquet. At suntne vlla causarum morbos quasi parturientium indicia? Certè. Sic plethoram (cacochymiæ quęlibet species eadem ratione dignoscitur) subesse coniicimus, tum ex causis polyhęmias, cibo pleniore, evchymo, polytropho, neglecta exercitatione, vita otiosa, suppresſa vacuatione, hyemali tempore, cutis densitate, tum ex propriis quibusdam signis, putà polysarcia, & corporis mole pleniori, vasorum tumore, tensiva lassitudine spontanea, faciei rubore, gravitate corporis, & ad motum segnitie, somno graviore & longiore, crebra hæmorrhagia, sudore à somno sine causa manifesta, & similibus. Vis compendio dicam? venientes morbos facilè prospicies, si diligenter observaveris omnia, κατὰ φύσιν, παρὰ φύσιν. Ab his certa & facilis coniectura. Occurrit aliquid ἐν τοῖς κατὰ φύσιν, qualitate vel quantitate, vel tempore immutatum, latet anguis in herba, morbique imminentis non vanus haruspex esse potes: si quid à Natura alienum, multò magis. Nam vel morbus pręsens est, si noxa gravior, vel imminens, si levior. Per eiuscemodi sive τεκμαρσι sive στοχασμὸν τεχνικόν Galenus Antipatro Medico Tuberculum Pulmonis crudum, & brevi lethale denuntiavit: Hippocrates repentinum interitum τοῖς πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος ἐκλυομένοις prędicebat; eadem nos aliaque divinationi proxima poterimus.

NIHIL ad consequendam Prophylaxim deerit, si convenientibus præsidiis instructi simus, quibus causarum morbificarum impetum reprimamus, generationem intercipiamus, intemperiem pravamque diathesin corrigamus, vitiosam materiam educamus, robur restituamus. Suppetunt verò aptissima & efficacissima. Venarum superiorum, inferiorum sectio, ad vacuationem, revulsionem, derivationem κατ' ἴξιν instituenda. Purgatio blanda per medicamenta proprium humorem & definitum tacita facultate trahentia. Ægvptiorum Syrmaïsmus. Pręsidia quolibet anni tempore celebranda, minimè trahenda in consuetudinem, minimè propter consuetudinem religiosè suo tempore repetenda. Clyster frequens, emolliens, eccoproticus. Pyrotica inio, brachiis, tibiis affixa, ad pestilentiæ pręservationem hydrargyro invtiliter appenso, arsenico periculosè admoto certiora. Hirudines revocandis hęmorrhoïdibus margini ani affixę. Menstruis malleolorum scarificatus. Balneum, ἐγκάθισμα temperatum. Aquę αὐτοφυεῖς variè medicatę, vt nobis ignota, sic nunquam assequenda & exprimenda mixtione. Serum lactis diligenter expurgatum & defęcatum. Lac caprillum, asininumve. Roborando capiti capillamentum, galericulus. Averruncandę Epilepsię Pęonia, etiam appensa. Oculis conspicilia, Veteribus non ignota. Dentibus tergendis, firmandis, ὀδοντρίμματα. Cordi à venenis pręservando, alexipharmaca, licèt venena penè ipsa. Ventriculo pulvis digestivus, diospoliticon, διὰ τριῶν πεπέρεων, interior ventriculus gallinę. Renibus à calculo

vindicandis Vretica, lithontriptica. Reſtituendæ virilitati (modò ne magico maleficio & ligulę nodo Priſcis non incognito adempta ſit) diaſatyrion, conſerva eryngii, ova formicarum. Furori amatorio, & moleſto Veneris œſtro, ſatyriaſi, exonirogmo, lactuca, nymphęa, ſalix, ruta, vitex. An caphura caſtrat odore mares? Partui retinendo magnes, aëtites appenſi, vri pellis; iuvando gagates potus. His aliiſque è fœcundiſſimis Naturæ theſauris induſtrio Medico repetendis, licebit vtrumque Prophylaxeos ſcopum κένωσιν & ἀλλοίωσιν attingere, & morbum quemlibet imminentem, etiam gentilitium, etiam ſacrum atque herculeum, etiam attonitum, etiam iam ſæpius periodice repetentem, etiam παγκοινον, etiam contagioſum, etiam venenatum fęliciter propulſare.

Ergo poſſunt Morbi Arte Medicâ præcaveri.

Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS RENOVARD, Lexovęus, A. R. S. H. M. DC. XXXI.

PARISIIS,

Proſtant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET, Typographum, in Platea Malbertina, ad inſigne D. Stephani.

M. DC. XLVII.

cette thèse est la 766e de tout in folio.